

## TIT. III.

## DE LIBERTIS UNIVERSITATIUM.

## 1. ULPIANUS, lib. 49, ad Edictum.

Municipibus<sup>1</sup> plenum jus in bonis libertorum, libertarum, defertur: hoc est, id jus quod etiam patrono. — § 1. Sed an omnino petere donorum possessionem possint, dubitatur: movet enim, quod<sup>2</sup> consentire non possunt? Sed per alium<sup>3</sup> possunt petita bonorum possessione ipsi acquirere; sed qua ratione senatus censuit<sup>4</sup>, ut restitui eis ex Trebelliano hereditas possit, qua ratione alio senatusconsulto, heredibus<sup>5</sup> eis institutis a libertis, acquirere hereditatem permissum est: ita<sup>6</sup> bonorum quoque possessionem petere dicendum est: — § 2. Temporaque bonorum possessionis petende cedere municipibus exinde, ex quo decernere de petenda potuerunt; quod [et] Papinianus respondit.

## TIT. IV.

## DE ADSIGNANDIS LIBERTIS.

## 1. ULPIANUS, lib. 14, ad Sabinum.

Senatusconsulto, quod factum est Claudianis temporibus, Velleio Rafo et Oesterio<sup>2</sup> Scapula consulibus, de assignandis libertis in hac verba cavetur: *Si, qui duos pluresve liberos justis nuptiis quositos in potestate haberet, de libertis liberave sua significasset, eorum ex liberis suis eum libertum eamve libertam esse vellet, in civitate esse desisset, eum eamve manumisit inter vivos vel testamento, in civitate esse desisset, solus<sup>3</sup> ei patronus solvare patrona esset, perinde, atque si ab eo eamve libertatem consecutus, consecutave est. Uique, si ex liberis quis in civitate esse desisset, neque ei liberi ulli essent: ceteris ejus liberis, qui manumisit, perinde omnia jura serventur, ac si nihil de eo liberti eamve liberta is parens significasset.* — § 1. Quamvis singulari sermone senatusconsultum scriptum est: tamen et pluribus liberis, et plures libertos libertasve posse assignari, certum est. — § 2. Is quoque libertus, qui apud hostes est, assignari potest. — § 3. Assignare autem quis potest quibuscumque<sup>4</sup> verbis, vel nutu, vel testamento, vel codicillis, vel vivis. — § 4. Adimere assignationem etiam nuda voluntate poterit. — § 5. Sed etsi exheredatus filio libertum quis assignaverit, valet assignatio: nec nocet ei nota exheredationis, quantum ad jus patronatus. — § 6. Sed si post assignationem fuerit exheredatus, non semper exhereditatio adimit assignationem: nisi hoc animo facta sit. — § 7. Sed si is, cui assignatus est, repudiaverit, puto verius, quod et Marcellus scripsit, posse admitti fratres ejus. — § 8. Si sit ex patrono filius unus, ex altero duo, et uni eorum libertus assignatus est, videndum, quot partes fiant hereditatis liberti: utrum tres, ut duas habeat is, cui assignatus est, id est, suam, et fratris, an vero aequales partes fiant, quoniam per assignationem alius excluditur? et Julianus lib. 78 scripsit, magis esse, ut bessem hic habeat, qui fratrem excludit; quod verum est, quamdiu frater ejus vivat, vel admitti potuit ad legitimam hereditatem: ceterum si fuerit capite minutus, aequales partes habebunt.

## 2. POMONIUS, lib. 4 Senatusconsultorum.

Sed si is, cui assignassem, decessisset relicto filio, et fratre, et alterius patroni filio: semissem habiturum eum nepotem, quem esset filius meus is, qui vivit, habiturus, si ego eum libertum non assignassem.

## 3. ULPIANUS, lib. 15, ad Sabinum.

Idem erit dicendum, et si is, qui filium et nepotem habebat, nepoti libertum assignaverit: admittetur nepos ad legitimam hereditatem, licet sit alterius patroni filius; et hoc contingit patri vita: ceterum, si ille non esset, nihil ei prodesset assignatio ad deminuum jus alterius patroni filii. — § 1. Posse autem et nepoti<sup>5</sup> assignari certum est: et praeferi filio nepotem assignatoris, constat. — § 2. Unde queri poterit, an, si filium habeat, et ex eo nepotem, possit, quasi duos habeat in potestate, jus senatusconsulti inducere? In qua specie, cum placeat, etiam ei, qui in potestatem recasurus est, assignari: quare non admittimus, cum utramque esse in potestate negare non possumus? — § 3. An autem ad legitimam hereditatem admitti possit hic, qui est in potestate, tractari poterit? et cum multi sint casus, quibus et libertum habere, qui in po-

TIT. III. — 1. L. 3, § 6, infr. de suis et legit. — 2. L. 2, infr. de manumiss. quae servis. — 3. L. 2, § 6, supr. de recepti. qui arbit. — 4. L. 2, infr. de acquir. vel. amit. possess. — 5. L. 26, supr. ad SC. Trebell. — 6. L. 12, C. de hered. instit. — 7. L. 3, § 4, supr. de bon. poss.

TIT. IV. — 1. Lib. 8, Inst. 9. — 2. § fin. Inst. h. t. — 3. Inst. cod. in pr.; L. 50, in fin.

testate est, possit: cur non hoc quoque admittendum sit, ut per eum patrem ad legitimam hereditatem admittatur? quod et Pomponio recte videtur; habent autem libertos etiam filiofamilias: ut puta si castrensem<sup>6</sup> servum eorum quis manumiserit. — § 4. Emancipatos quoque filios ejus, cui assignatus est libertus, habere commodum senatusconsulti puto: non ut ad legitimam hereditatem admittantur, sed ad ea quae possunt. — § 5. Secundum quod liberti intestato defuncto, quoniam ad legitimam hereditatem admitti non possunt, videndum, ne admittatur filius assignatoris in familia remanens, an non? et puto, emancipatos per praetorem preferendos. — § 6. Liberos autem ejus, cui assignatus est, accipere debemus non solum filios, verum etiam nepotes et neptes, et deinceps descendentes. — § 7. Si quis duobus assignaverit libertum, et alter in civitate esse sine liberis desiderit, alter non;

## 4. POMONIUS, lib. 4 Senatusconsultorum.

Vel vivus noluerit ad se hereditatem liberti pertinere:

## 5. ULPIANUS, lib. 14, ad Sabinum.

Utrum portio ejus, qui<sup>7</sup> in civitate esse desit, vel repudiavit, in familiam redeat: an vero ei potius addecat, in cujus persona durat assignatio? Et Julianus lib. 78 scripsit, assignationem in hujus solius persona locum habere, et solum admittendum: quod est verum. — § 1. Quod si non sine liberis decesserit, an cum vivo admittantur? Et putat adhuc solum admittendum: defuncto autem eo, liberos alterius succedere; non in familiam libertum redire. — § 2. Sed si ex duobus istis alter filios, alter nepotes reliquerit, an simul ad legitimam hereditatem admittantur? Et puto, ordinem inter eos faciendum.

## 6. MARCIANUS, lib. 7 Institutionum.

Si servus liber jussus esse fuerit, et filio legatus, deinde vivus testator eum manumiserit: ad filium libertus quasi assignatus pertinet; hoc ita est, sive expressum est, vel certe intellexit, non quasi servum eum legasse, sed quasi libertum assignasse.

## 7. SCEVOLA, lib. 2 Regularum.

Assignare et pure<sup>8</sup>, et sub conditione<sup>9</sup>, et per epistolam<sup>10</sup>, vel testationem, vel chirographum possumus: quia assignatio liberti neque quasi legatum, neque quasi fideicommissum percipitur; denique nec fideicommissio onerari potest.

## 8. MODESTINUS, lib. 7 Differentiarum.

Liberti patroni, quamquam et ipsi in plerisque causis manumissoris jure censentur, tamen paternum libertum liberis suis assignare non poterunt; etiamsi eis a parente fuerit assignatus: idque et Julianus et Marcellus probant.

## 9. Idem, lib. 9 Pandectarum.

Utrum ei tantum, qui in potestate sit, an etiam emancipato filio assignare libertum patronus possit, si modo non pauciores quam duos praeterea in potestate habeat, dubitari solet? Et magis est posse<sup>11</sup>.

## 10. TERENCEM CLEMENS, lib. 12, ad legem Juliam et Papiam.

Sub conditione<sup>12</sup> vel in diem liberti assignato, interim, pendente die, vel conditione, omnia perinde observabuntur, ac si assignatus non esset: itaque mortuo eo interim ad omnes liberos hereditas et bonorum possessio pertinebit. — § 1. Si uni pure<sup>13</sup>, alii sub conditione libertus assignatus sit, eum, cui pure assignatus sit, pendente conditione solum patroni jus habere dicendum est.

## 11. PAPIANUS, lib. 14 Responsorum.

Alimentorum causa libertos filiis adtributos, filiis assignatos non videri, respondi: cum ea ratione libertis consuli patronus voluerit, quo facilius voluntatis emolumentum consequantur [salvo jure communi].

## 12. POMONIUS, lib. 12 Epistolarum.

Si ex duobus patronis alter eorum filio suo libertum assignaverit, non obstat, quo minus alter patronus jus solidum suum haberet.

## 13. Idem, lib. 4 Senatusconsultorum.

Testamento<sup>14</sup> potest quis et servum manumittere, et eundem ut libertum assignare. — § 1. De liberis, qui sunt in potestate, senatus locutus est: ergo de posthumis nihil hoc senatusconsulto provisum est? magis tamen puto, etiam posthumos contineri. — § 2. Quod inquit senatus<sup>15</sup>, Si ex liberis quis in civitate esse desisset, eum significat, qui in per-

infr. qui et a quib. manumiss. — 4. L. 7, L. ult. in pr. infr.; § ult. Inst. h. t. — 5. § 1, Inst. cod. — 6. L. 8, in pr. supr. de jure patron. — 7. L. ult. § 2, infr. h. t. — 8. L. 10, in fin. infr. cod. — 9. d. L. 10. — 10. Adde L. 1, § 5, supr. cod. — 11. *Immo eide* § 2, Inst. cod. — 12. L. 7, supr. cod. — 13. d. L. 7. — 14. L. 1, § 5; L. 7, supr. cod. — 15. L. 1, in pr. supr. cod.

petuum in civitate esse desiderit: non etiam si quis ab hostibus captus reverti possit. — § 3. Ex die quoque certa assignari potest: sed usque in diem certum vix potest; nam ipse senatus huic negotio finem praeposuit.

## TIT. V.

## SI QUID IN FRAUDEM PATRONI FACTUM SIT.

## 1. ULPIANUS, lib. 44, ad Edictum.

Si quid dolo malo liberti factum esse dicitur (sive testamento facto, sive intestato libertus decesserit) quominus [quam] pars<sup>2</sup> debita<sup>3</sup> bonorum ad eorum quem perveniat, qui contra tabulas bonorum possessionem accipere possunt: cognoscit praetor, et operam dat, ne ea res [ei] fraudi sit. — § 1. Si alienatio dolo malo facta sit, non querimus, utrum mortis causa facta sit, an non sit: omni enim modo revocatur. Si vero non sit dolo malo facta, sed alias: tunc actori probandum erit, mortis causa factam alienationem. Si enim proponas, mortis causa factam alienationem, non requirimus, utrum dolo malo facta sit, an non sit: sufficit enim docere, mortis causa factam; nec immerito: mortis causa enim donationes comparantur legatis: et sicut in legatis non querimus, dolo malo factum sit, an non sit, ita nec in mortis causa donationibus. — § 2. Quod autem mortis causa filio donatum est, non revocatur: nam cui liberum fuit legare filio quantum vellet, in donando non videtur fraudasse patronum. — § 3. Omne autem, quodcumque in fraudem patroni gestum est, revocatur. — § 4. Dolam accipere nos oportet ejus qui alienavit, non ejus, cui alienatum est: et ita evenit, ut qui fraudis vel doli conscius non fuit, carere debeat re in fraudem patroni alienata, etsi putavit ingenium, nec creditur libertinum. — § 5. Adversus comparatum, qui contra tabulas bonorum possessionem omisit, Faviana non competit, si<sup>5</sup> non plus sit in eo quod donatum est, quam pars debita patrono. Quare si mortis causa ei donatum sit, partem faciet comparatorem, quem admodum legatarius patronus facit. — § 6. Utrum autem ad ea sola revocanda Faviana pertinet, quae [quis] libertus de bonis deminuit; an etiam ad ea quae non adquisit: videndum est? Et ait Julianus lib. 26 Digestorum, si hereditatem libertus non adierit fraudandi patroni causa, vel legatum repulerit, Faviana cessare: quod mihi videtur verum; quamvis enim legatum retro nostrum sit, nisi repudiatur: attamen cum repudiatur, retro nostrum non fuisse palam est. In caeteris quoque liberalitatibus, quas non admisit libertus, cui quis donatum voluit, idem erit probandum, Faviana cessare; sufficit enim patrono, si nihil de suo in necem ejus libertus alienavit: non<sup>6</sup> si non adquisit. Proinde etsi, cum sub conditione ei legatum esset, id egi ne conditio existeret; vel si sub conditione stipulatus fuerit, maluit deficere conditionem: dicendum est, Faviana cessare. — § 7. Quid si in lite vincti<sup>7</sup> voluit? Si quidem condemnatus est data opera, vel<sup>8</sup> in jure confessus: dicendum erit, Faviana locum habere; quod si noluit obtinere, cum peteret: hic videndum. Et puto, hunc diminuisse de patrimonio: actionem enim bonis diminuit: quemadmodum si passus esset actionis diem abire. — § 8. Sed si [puta] querelam inofficiosi quam potuit, vel quam aliam, forte injuriarum, vel similem instituisse noluit: non<sup>9</sup> potest patronus ob eam rem Faviana experiri.

§ 9. At si transegit in fraudem patroni, poterit patronus Faviana uti. — § 10. Sed si libertus filiam dotavit [hoc ipso quod dotavit], non videtur fraudare patronum: quia pietas patris non est reprehendenda. — § 11. Si pluribus in fraudem libertus donaverit, vel pluribus mortis causa: aequaliter patronus adversus omnes, in partem sibi debitam, sive Faviana sive Calvisiana<sup>10</sup> experietur. — § 12. Si quis in fraudem patronorum rem vendiderit, vel locaverit, vel permutaverit: quale sit arbitrium judicis, videamus. Et in re quidem distracta deferri conditio debet emptori, utrum malit rem emptam habere justo pretio, an vero a re discedere pretio recepto; neque omnimodo rescindere debemus venditionem, quasi libertus jus vendendi non habuerit: nec fraudemus pretio emptorem, maxime cum de dolo ejus non disputetur, sed de dolo liberti. — § 13. Sed si emerit in fraudem patroni libertus, aequo dicendum, si magno emit, in pretio relevandum patronum, conditione non ipsi delata, an velit ab emptione discedere, sed venditori, utrum malit de pretio remittere, an potius rem, quam vendidit, recipere persoluto pretio. Et in permutacione, et in locatione et conductione similiter idem observabuntur. — § 14. Sed si rem quidem bona fide vendiderit et sine ulla gratia li-

TIT. V. — 1. Lib. 6, C. 5. — 2. L. 1, C. h. t. — 3. § 3, Inst. de success. liberti. — 4. § 1, Inst. de donat. — 5. Adde L. 19, in fin. infr. de verb. oblig. — 6. Adde L. 6, in pr. infr. quae in fraud. ced. — 7. L. 5, § 1, infr. d. t. — 8. L. 56, infr. de re judicat. — 9. Arg. l. 28, in d. de injur. — 10. L. 16, § 6, supr. de hered. instit. — 11. L. 54, supr. de legat. 2. — 12. L.

bertus, pretium autem acceptum alii donavit: videndum erit, quis Faviana inquietetur, utrum qui rem emit, an vero is qui pretium dono accepit? Et Pomponius lib. 83 recte scripsit, emptorem non esse inquietandum: fraus enim patrono in pretio facta est; eum igitur qui pretium dono accepit, Faviana conveniendum. — § 15. Et alias videamus, si dicat patronus, rem quidem justo pretio venisse, verumtamen hoc interesse sua, non esse venundatam, inque hoc esse fraudem, quod venierit possessio, in quam habet patronus affectionem vel opportunitatis, vel vicinitatis<sup>11</sup>, vel ceteri, vel quod illic educatus sit, vel parentes sepulti<sup>12</sup>: an debeat audiri volens revocare? Sed nullo pacto erit audiendus: fraus enim in damno accipitur pecuniario. — § 16. Sed si forte et res vilis distracta sit, et pretium alii donatum: uterque Faviano judicio convenietur, et qui vili emit, et qui pecuniam accepit muneris; is tamen qui emit, si malit rem restituere, non alias restituet, quam si pretium quod numeravit, recipiat. Quid ergo, si delegatus emptor solvit ei, cui donabat libertus: an nihilominus reciperet? et magis est, ut recuperare debeat, licet pretium ad alium pervenit, qui solvendo non est: nam et si acceptum pretium libertus prodigisset, diceremus nihilominus eum qui dedit, recipere debere, si velit ab emptione discedere. — § 17. Si mutuam pecuniam libertus in fraudem patroni acceperit, an Faviana locum habeat, videamus: et quod remedium in hoc est. Accipit mutuam; si, quod accepit, donavit, convenit eum patronus, cui donavit libertus; sed accepit et prodigit: non debet perdere qui mutuam dedit; nec ei imputari, cur dedit.

§ 18. Plane si<sup>13</sup> non accepit et spondit stipulanti: erit Faviana locus. — § 19. Si fidejussit apud me libertus, vel rem suam pro alio pigriori dedit in necem patroni: an Faviana locum habeat, videamus: et numquid cum damno meo non debeat patrono sulveniri; neque enim donavit aliquid mihi, si pro aliquo intervenit, qui non fuit solvendo; eoque jure utimur; igitur creditor non poterit Faviana conveniri: debitor poterit quidem, sed potest et mandati; plane si deficiat mandati actio, quia<sup>14</sup> donationis causa intervenit, erit Faviana locus. — § 20. Sed et si mandator extitit pro aliquo libertus, idem erit probandum. — § 21. Quamvis autem in partem Faviana competat, attamen in his, quae dividi non<sup>15</sup> possunt, in solidum competit, ut puta in servitute. — § 22. Si servo meo, vel filiofamilias libertus in fraudem patroni quid dederit: an adversus me judicium Favianum competat, videamus? Et mihi videtur sufficere adversus me patremque: arbitrioque judicis contineri tam id, quod in rem versum est, condemnandi, quam id quod in peculio. — § 23. Sed si jussu patris contractum cum filio est, pater utique tenebitur. — § 24. Si cum servo in fraudem patroni libertus contraxerit, isque fuerit manumissus: an Faviana teneatur, queritur? Et cum dixerimus, dolum tantum liberti spectandum, non etiam ejus cum quo contraxit, potest manumissus iste Faviana non teneri. — § 25. Item queri potest, manumisso, vel mortuo, vel alienato servo, an intra annum agendum sit? Et ait Pomponius, agendum. — § 26. Haec actio in personam est, non in rem; et in heredem competit, et in caeteros successores, et heredi, et caeteris successoribus patroni: et non est hereditaria, id est, ex bonis liberti, sed propria patroni. — § 27. Si libertus in fraudem patroni aliquid dederit, dein, defuncto patrono, vivo liberto, filius patroni acceperit bonorum possessionem contra tabulas liberti, an Faviana uti possit ad revocanda ea, quae sunt alienata? Et est verum, quod et Pomponius probat lib. 83, item Papinianus lib. quarto [decimo] Questionum, competere ei Faviana: sufficere enim, quod in fraudem patronatus factum sit; magis enim fraudem<sup>16</sup> rei, non personae accipimus. — § 28. In hanc actionem etiam fructus<sup>17</sup> veniunt, qui sunt post litem contestatam percepti.

## 2. MARCIANUS, lib. 5 Regularum.

In Faviana et Calvisiana actione recte dicitur, etiam praeteritos fructus venire, quatenus praetor omnem fraudem libertorum vult rescindere.

## 3. ULPIANUS, lib. 44, ad Edictum.

Si patronus heres institutus ex debita parte adierit hereditatem, dum ignorat aliqua libertum in fraudem suam alienasse: videamus an succurri ignorantiae ejus debeat, ne decipiatur liberti fraudibus? Et Papinianus lib. 14 Questionum respondit: in eadem causa manere ea, quae alienata sunt: idcircoque patronum sibi imputare debere, qui cum posset bonorum possessionem accipere contra tabulas propter ea, quae alienata vel mortis causa donata sunt, non fecit. — § 1. Haec actio in perpetuum datur: quia habet rei persecutionem. — § 2. Patronum ex asse heredem

36, circa fin. supr. de bon. liberti. — 13. L. 5, in pr. infr. quae in fraud. ced. — 14. L. 23, supr. de pact. — 15. L. 192, in pr. infr. de reg. jur.; L. 2, § 1; L. 4, § 1, infr. de verb. oblig. — 16. § 4, supr. h. t. — 17. L. 38, § 4, supr. de usur.



institutum, volentem Faviana actione uti, prætor admittit: quia erat iniquum, excludi eum a Faviana, quia non sponte adit hereditatem; sed quia bonorum possessionem contra tabulas petere non potuit. — § 3. Si intestatus libertus decesserit, patronus adeundo hereditatem ejus, revocat per Calvisianam<sup>18</sup> actionem ea quæ alienata sunt dolo malo, quo minus pars ex testamento debita bonorum liberti ad patronum liberove ejus perveniret: idque est, sive petita sit a patrono ab intestato bonorum possessio, sive non sit. — § 4. Si plures sint patronæ et patroni, singuli viriliter<sup>19</sup> tantum revocabunt vel Calvisiana. — § 5. Si libertus intestatus decesserit, relicta patrono debita portione, aut aliquo amplius, aliquid etiam alienaverit: Papinianus lib. 14 Questionum scribit, nihil esse revocandum: nam qui potuit alicui relinquere quid testamento, si debitam portionem patrono relinquat, præterea donando, nihil videtur in fraudem facere.

4. *Idem*, lib. 43, ad Edictum.

Quodcumque dolo malo liberti alienatum est, Faviana actione revocatur. — § 1. Et, si plures patroni sint, omnes unam partem habebunt: sed si viriles<sup>20</sup> non petent, portio cæteris aderescet. Quod in patronis dixi, et in liberis patroni est: sed non simul venient, sed patronis deficientibus.

5. *PAULUS*, lib. 42, ad Edictum.

Tenetur Faviana actione tam is, qui accepit ipse, quam qui jussit<sup>21</sup> alii dari id quod ipsi donabatur. — § 1. In actione Faviana, si res non restituatur, tanti damnabitur reus, quanti actor in litem juraverit.

6. *JULIANUS*, lib. 26 Digestorum.

Si libertus, cum fraudare patronum vellet, filiofamilias contra senatusconsultum pecuniam crediderit, non erit inhibenda actio Faviana: quia libertus donasse magis in hunc casum intelligendus est in fraudem patroni, quam contra senatusconsultum credidisse.

7. *SCEVOLA*, lib. 3 Questionum.

Ergo, si senatusconsultum locum non habet, cessat Faviana, cum exigi possit.

8. *JULIANUS*, lib. 26 Digestorum.

Sed si minori, quam vigintiquinque annis natu filiofamilias crediderit, causa cognita, ei succurri debet.

9. *Idem*, lib. 64 Digestorum.

Vivus libertus donare bene merentibus amicis potest, legare vero nec bene merentibus amicis potest, qui patroni partem minuunt.

10. *AFRICANUS*, lib. 1 Questionum.

Si id, quod a liberto in fraudem alienatum est, non extet, actio patroni cessat: quemadmodum si pecuniam in fraudem abjecisset; aut etiam [si] is, qui mortis causa a liberto accepisset, eam rem vendidisset, et bonæ fidei emptor eam usucipisset.

11. *PAULUS*, lib. 3, ad legem Æliam Sentiam.

Non videtur patronus fraudari eo, quod<sup>22</sup> consentit: sic et quod volente patrono libertus donaverit, non poterit Faviana revocari.

12. *JAVOLENUS*, lib. 3 Epistolarum.

Libertus cum fraudandi patroni causa fundum Seio tradere vellet, Seius Titio mandavit<sup>23</sup>, ut eum accipiat, ita ut inter Seium et Titium mandatum contrahatur. Quæro, post mortem liberti patronus utrum cum Seio duntaxat, qui mandavit, actionem habet: an cum Titio, qui fundum retinet: an, cum quo velit, agere possit? Respondit, in eum, cui donatio quæsitæ est, ita tamen si ad illum res pervenerit, actio datur: cum omne negotium, quod ejus voluntate gestum sit, in condemnationem ejus conferatur; nec potest videri id præstaturus, quod alius possidet: cum actione<sup>24</sup> mandati consequi rem possit, ita ut aut ipse patrono restituat, aut eum, cum quo mandatum contraxit, restituere cogat. Quid enim dicemus si is, qui in re interpositus est, nihil dolo fecit? non dubitabimus, quin omnimodo cum eo agi non possit; quid enim? non potest videri dolo fecisse, qui fidem suam amico commodavit, qua alii quam sibi, ex liberti fraude adquisiit.

13. *PAULUS*, lib. 10, ad legem Juliam et Papiam.

Constitutione divi Pii cavetur de impubere adoptando, ut ex bonis, quæ mortis tempore illius qui adoptavit fuerunt, pars quarta<sup>25</sup> ad eum

18. L. ult. C. h. t. — 19. L. 4, § 1, infr. eod. — 20. L. 5, § 4, supr. eod.; L. 23, supr. de bon. heret. — 21. L. 12, infr. h. t. — 22. L. ult. in fin. C. eod.; L. 6, § 9, infr. que in fraud. recit. L. 48, § 3, infr. de furt. — 23. L. ult. in fin. C. eod.; L. 5, C. de suis et legit. liber. — 6. L. 4, infr. h. t. — 7. L. 22, § 3, supr. qui testam. facere: L. 1, § 10, supr. de bon. poss. secund. tab.; L. 30, C. de testam. — 8. L. 20, supr. de bon. poss. contr. tab. — 9. L. 17, supr. de injust. rupt. irrit. fidei testam. — L. 2, infr. de except. rei judic. — 10. L. 12, C. de testam.; L. ult. C. de bon. poss. secund. tab. — 11. *Vide* tamen § 10, Inst. de hered. que ab intest. — 12. L. 2, § 6, infr. ad SC. Tertull. — 13. L. 1, in pr. supr. de acquir. vel omitt. hered. — 4. § 1, supr. hic; L. 7, in fin. infr. h. t.; L. 1, in pr. infr. quis ordo in poss.

1216

## TIT. VI.

## SI TABULÆ TESTAMENTI NULLÆ EXTABUNT, UNDE LIBERI.

1. *ULPIANUS*, lib. 44, ad Edictum.

Posteaquam prætor locutus est de bonorum possessione ejus qui testatus est, transitum fecit ad intestatos, cum ordinem secutus, quem et lex 12 tabularum secuta est: fuit enim ordinarius, ante de iudiciis testantium, dein sic [de] successione ab intestato loqui. — § 1. Sed successione ab intestato in plures partes divisit; fecit enim gradus varios: primum<sup>2</sup> liberorum, secundum legitimorum, tertium cognatorum, deinde viri et uxoris. — § 2. Ita autem ab intestato potest competere bonorum possessio, si neque secundum tabulas, neque contra tabulas bonorum possessio agnita sit. — § 3. Plane si tempora quidem petenda bonorum possessionis ex testamento largiebantur, verumtamen repudiata<sup>3</sup> est bonorum possessio: dicendum erit, ab intestato bonorum possessionem jam incipere; cum enim is, qui repudiavit, petere bonorum possessionem non potest post repudiationem: consequens erit, ut ab intestato posse peti incipiat. — § 4. Sed et si ex Carboniano edicto bonorum possessio data sit: magis est, ut dicere debeamus, ab intestato nihilominus posse peti; ut enim suo loco ostendimus, non impedit bonorum possessionem edictalem Carboniana bonorum possessio. — § 5. Recte autem prætor a liberis<sup>4</sup> initium fecit ab intestato successioibus: ut sicuti contra tabulas ipsis defert, ita et ab intestato ipsos vocet. — § 6. Liberos autem accipere debemus, quos ad contra tabulas bonorum possessionem admittendos diximus, tam naturales<sup>5</sup> quam adoptivos; sed adoptivos hactenus admittimus, si fuerint in potestate. Cæterum, si sui<sup>6</sup> juris fuerint, ad bonorum possessionem non invitantur: quia adoptionis jura dissoluta sunt emancipatione. — § 7. Si quis filium suum emancipatum in locum nepotis adoptavit et emancipavit, cum haberet et nepotem ex eo: quæsitum est apud Marcellum, an adoptio rescissa impediat nepotem? Sed cum solet emancipato patri jungi nepos, quis non dicat, etsi adoptatus sit et quasi filius, nihilominus filio suo eum non obstat? quia quasi filius adoptivus est in potestate, non quasi naturalis? — § 8. Si heres institutus non habeat voluntatem, vel quia incisa<sup>7</sup> sunt tabulæ, vel quia cancellata, vel quia alia ratione voluntatem testator mutavit, voluitque intestato decedere: dicendum est, ab intestato rem habituros eos qui bonorum possessionem acceperunt. — § 9. Si emancipatus<sup>8</sup> filius exheres fuerit, is autem, qui in potestate fuerat, præteritus: emancipatum petentem ab intestato bonorum possessionem unde<sup>9</sup> liberi, tueri debet prætor usque ad partem dimidiam, perinde atque si nullas tabulas pater reliquisset.

2. *JULIANUS*, lib. 27 Digestorum.

Emancipatus præteritus, si contra tabulas bonorum possessionem non<sup>9</sup> acceperit, et scripti heredes adierint hereditatem: sua culpa amittit paternam hereditatem; nam quamvis secundum tabulas bonorum possessio petita non fuerit, non tamen eum prætor tuerit, ut bonorum possessionem accipiat unde liberi. Nam et patronum præteritum, si non petat contra tabulas bonorum possessionem, ex illa parte edicti unde<sup>10</sup> legiimi vocantur non solet tueri prætor adversus scriptos heredes.

3. *ULPIANUS*, lib. 8, ad Sabinum.

Bonorum possessio potest peti ab intestato, si certum sit tabulas non extare septem<sup>10</sup> testium signis signatas.

4. *PAULUS*, lib. 2, ad Sabinum.

Liberi et capite minuti per edictum prætoris ad bonorum possessionem vocantur parentium, nisi si adoptivi<sup>11</sup> fuerint: hi enim et liberorum nomen amittunt post emancipationem. Sed si naturales emancipati et adoptati, iterum emancipati sint, habent jus naturale liberorum<sup>12</sup>.

L. 12, infr. de suis; N. 118, c. 1, § 1, Inst. de hered. que ab intest.; § 2, Inst. de hered. qualitat. 2. Feud. 11. — 5. L. 1, § 2, infr. de suis; L. 5, C. de suis et legit. liber. — 6. L. 4, infr. h. t. — 7. L. 22, § 3, supr. qui testam. facere: L. 1, § 10, supr. de bon. poss. secund. tab.; L. 30, C. de testam. — 8. L. 20, supr. de bon. poss. contr. tab. — 9. L. 17, supr. de injust. rupt. irrit. fidei testam. — L. 2, infr. de except. rei judic. — 10. L. 12, C. de testam.; L. ult. C. de bon. poss. secund. tab. — 11. *Vide* tamen § 10, Inst. de hered. que ab intest. — 12. L. 2, § 6, infr. ad SC. Tertull.

5. *POMPONIUS*, lib. 4, ad Sabinum.

Si<sup>13</sup> quis ex his, quibus bonorum possessionem prætor pollicetur, in potestate parentis, de cuius bonis agitur, cum is moritur, non fuerit: ei liberisque, quos in eisdem familia habebit, si ad eos hereditas suo nomine pertinebit, neque nominatim exheredes scripti erunt, bonorum possessio ejus partis datur, quæ ad eum<sup>14</sup> pertineret, si in potestate permansisset; ita ut ex ea parte dimidiam habeat, reliquum liberi ejus, hisque duntaxat bona sua conferat. — § 1. Sed et si filium et nepotem ex eo pater emancipaverit, filius solus veniet ad bonorum possessionem: quamvis capitis diminutio per edictum nulli obstet. Quin etiam hi quoque qui in potestate nunquam fuerunt, nec sui heredis locum obtinuerunt, vocantur ad bonorum possessionem parentium: nam si filius emancipatus reliquerit in potestate avi nepotem, dabitur ei, qui in potestate relictus sit, patris emancipati bonorum possessio: et si post emancipationem procreaverit, ita nato dabitur avi bonorum possessio, scilicet non obstante ei patre suo. — § 2. Si filius emancipatus non petierit bonorum possessionem: ita integra sunt omnia nepotibus, atque si filius non fuisset: ut quod filius habiturus esset petita bonorum possessione, hoc nepotibus ex eo solis, non etiam reliquis aderescat.

6. *ULPIANUS*, lib. 39, ad Edictum.

Si pater filium emancipaverit, nepotem retinuerit, deinde filius decesserit: et rei æquitas, et causa edicti, quo de bonorum possessione liberis danda cavetur, efficit ut ejus ratio habeatur, et bonorum possessio intestato patris detur: ut tamen bona sorori, quæ necessaria heres patri extitit, conferre cogatur avus, qui per eum bonorum possessionis emolumentum adquisiturus est; nisi forte avus iste nullum ex his fructum adquirere vult, paratusque<sup>15</sup> est de potestate nepotem dimittere, ut ad emancipatum emolumentum omne bonorum possessionis perveniat. Nec idcirco soror, quæ patri heres extitit, juste queri poterit, quod eo facto a collationis commodo excluditur: cum avo quandoque intestato defuncto, ad bona ejus simul cum fratre possit venire.

7. *PAPINIANUS*, lib. 29 Questionum.

Scripto<sup>16</sup> herede deliberante filius exheredatus mortem obiit; atque ita scriptus heres omisit hereditatem: nepos ex illo filio susceptus, avo suus heres erit; neque pater videbitur obtulisse, cuius post mortem legitima defertur hereditas. Nec dici potest, heredem [sed] non suum nepotem fore, quod proximum gradum nunquam tenuerit: cum et ipse fuerit in potestate, neque pater eum in hac successione prevenerit; et alioquin, si non suus heres est, quo jure heres erit, qui sine dubio non est adgnatus? Cæterum, etsi non sit exheredatus nepos, adiri poterit ex testamento hereditas a scripto herede, filio mortuo: quare qui non obstat jure intestati, jure testati videbitur obtulisse. — § 1. Non sic<sup>17</sup> parentibus liberorum, ut liberis parentum debetur hereditas; parentes<sup>18</sup> ad bona liberorum ratio miserationis admittit, liberos nature simul et parentium commune votum<sup>19</sup>.

8. *Idem*, lib. 6 Responsorum.

Filiofamilias ut proximus cognatus, patre consentiente, possessionem adgnovit: quamvis per conditionem testamento datam, quod in patris potestate manserit, ab hereditate sit exclusus, tamen utiliter possessionem adgnovisse videbitur; nec in edicti sententiam incidet, quoniam possessionem secundum tabulas non adgnovit, cum inde rem habere non poterit, nec in fili potestate conditio fuerit, nec facile pater emancipare filium cogi poterit.

9. *PAULUS*, lib. 11 Responsorum.

Si posteaquam filius emancipatus bonorum possessionem patris petiit, statum suum mutavit: nihil obesse ei, quominus id quod adquisiit, retineat; quod si prius conditionem suam mutavit, bonorum possessionem eum petere non posse.

## TIT. VII.

## UNDE LEGITIMI.

1. *JULIANUS*, lib. 20[7] Digestorum.

Hæc verba edicti, *Tum quem ei heredem esse oporteret, si intestatus*

13. L. 1, in pr. supr. de conjug. cum emancip. — 14. L. 1, § 4, infr. de suis; § 2, vers. ita denum. Inst. de hered. que ab intest. — 15. L. 5, in pr. supr. de collat. — 16. L. 1, § 8, infr. de suis. — 17. L. 1, § 5, supr. h. t.; L. 15, in pr. supr. de modic. testam. — 18. § ult. Inst. de legit. agnat. success.; N. 118, c. 2. — 19. L. 7, in pr. infr. de bon. demort.; L. 2, in fin. supr. de bon. liber.; L. 26, supr. si quis omnia. caus. testam.

TIT. VII. — 1. Lib. 6, C. 15. — 2. L. 2, § 6, infr. de suis. — 3. L. 11, infr. d. t. — 4. L.

1218

2. *ULPIANUS*, lib. 46, ad Edictum.

Si repudiaverint sui ab intestato bonorum possessionem, adhuc dicemus, obstare<sup>4</sup> eos legitimis, hoc est his, quibus legitima potuit deferri hereditas; idcirco, quia repudiando quasi liberi bonorum possessionem, hanc incipiunt habere quasi legitimi. — § 1. Hæc autem bonorum possessio non tantum masculorum defertur, verum etiam foeminarum: nec tantum ingenitorum, verumetiam libertinorum. Communis est igitur pluribus; nam et foeminae possunt vel consanguineos vel adgnatos habere: item libertini possunt patronos, patronasque habere. — § 2. Nec tantum masculi hanc bonorum possessionem accipere possunt: verumetiam foeminae. — § 3. Si quis decesserit, de quo incertum<sup>5</sup> est, utrum paterfamilias an filiofamilias sit, quia pater ejus ab hostibus captus adhuc vivat, vel quod alia causa suspendebat ejus statum: magis est, ne possit peti bonorum [ejus] possessio: quia nondum intestatum eum esse appareat, cum incertum sit an testari possit; cum igitur cæperit certi status esse, tunc demum petenda est bonorum possessio: non cum certum esse cæperit, intestatum esse; sed cum certum esse cæperit, patremfamilias esse. — § 4. Hæc autem bonorum possessio omnem vocat, qui ab intestato potuit esse heres: sive lex<sup>6</sup> 12 tabularum eum legitimum heredem faciat, sive alia lex, senatusve consultum. Denique mater, quæ ex senatusconsulto venit Tertulliano, item qui ex Orphitiano ad legitimam hereditatem admittuntur, hanc bonorum possessionem petere possunt.

3. *PAULUS*, lib. 45, ad Edictum.

Generaliter igitur sciendum est, quotiescunque vel lex, vel senatus defert hereditatem, non etiam bonorum possessionem, ex hac<sup>7</sup> parte eam peti oportere: cum vero etiam bonorum possessionem dari jubet, tum ex illa parte, qua ex legibus peti debere: sed et ex hac parte poterit.

4. *JULIANUS*, lib. 27 Digestorum.

Si ex duobus fratribus alter decesserit testamento jure facto, dein deliberante herede alter quoque intestato decesserit, et scriptus heres omiserit hereditatem: patruus legitimam hereditatem habebit: nam hæc<sup>8</sup> bonorum possessio, *tum quem heredem esse oportet*, ad id tempus referatur, quo primum ab intestato bonorum possessio peti potuisset.

5. *MODESTINUS*, lib. 5 Pandectarum.

Inter<sup>9</sup> adgnatos et cognatos hoc interest, quod in adgnatis et cognatis continentur, in cognatis non utique et adgnati: verbi gratia, patris frater, id est, patruus, et adgnatus est, et cognatus: matris autem frater, id est, avunculus, cognatus est, adgnatus non est. — § 1. Quandiu<sup>10</sup> spes est, suum heredem aliquem defuncto existere, tamdiu consanguineis locus non est: puta si defuncti uxor prægnans sit, aut defuncti filius apud hostes sit.

6. *HERMOGENIANUS*, lib. 3 juris Epitomarum.

Nati<sup>11</sup> post mortem patris, vel post captivitatem, sive deportationem: sed et hi qui tempore, quo capiebatur, vel deportabatur pater, in potestate fuerunt, jus inter se consanguinitatis habent, etsi heredes patri non<sup>12</sup> extiterint, sicuti exheredati.

## TIT. VIII.

## UNDE COGNATI.

1. *ULPIANUS*, lib. 46, ad Edictum.

Hæc bonorum possessio nudam habet prætoris indulgentiam, neque ex jure civili originem habet: nam eos invitatur ad bonorum possessionem, qui jure civili ad successionem admitti non possunt, id est, cognatos. — § 1. *Cognati* autem appellati sunt, quasi<sup>2</sup> ex uno nati, aut, ut Labeo ait, quasi commune nascendi initium habuerint. — § 2. Pertinet autem hæc lex ad cognationes non serviles: nec enim facile<sup>3</sup> ulla servilis

17, § 1, supr. de acquir. vel omitt. hered. — 5. L. 1, § 1, infr. ad SC. Tertull. — 6. L. un. infr. ut ex legit. — 7. L. 3, C. ad SC. Orphit.; L. 4, C. de legit. hered.; — 8. L. 2, § 6, infr. de suis. — 9. L. 10, § 4, infr. de grad. et affin. — 10. L. 2, C. unde liberi. — 11. L. 1, § 10, in fin. infr. de suis; § 1, in fin. Inst. de legit. agnat. success. — 12. d. L. 3, § 10.

TIT. VIII. — 1. Lib. 6, C. 15. — 2. L. 4, § 1, infr. de gradib. — 3. *Vide* tamen L. 10, § 5, infr. d. t. pr. Inst. de servili cognat.



videtur esse cognatio. — § 3. Hæc autem bonorum possessio, quæ ex hac parte edicti datur, cognatorum gradus sex complectitur, et ex septimo<sup>4</sup> duas personas, sobrinum<sup>5</sup> et sobrina natum et natam. — § 4. Cognationem<sup>6</sup> facit etiam adoptio: etenim quibus fiet adgnatus hic, qui adoptatus est, isdem etiam cognatus fiet: nam ubicumque de cognatis agitur, ibi sic accipiemus, ut etiam adoptione cognati facti contineantur. Evenit igitur, ut is, qui in adoptionem datus est, tam in familia naturalis patris jura cognationis retineat, quam in familia adoptiva nanciscatur; sed eorum tantum cognationem in adoptiva familia nanciscetur, quibus fit adgnatus: in naturali autem omnium retinebit. — § 5. Proximus autem accipietur etiam is, qui solus<sup>7</sup> est: quamvis proprie proximus ex pluribus dicitur. — § 6. Proximum accipere nos oportet eo<sup>8</sup> tempore, quo bonorum possessio defertur. — § 7. Si quis igitur proximus cognatus, dum heredes scripti deliberant, diem suum obierit: sequens quasi proximus, admittitur: hoc est, quicumque fuerit tum deprehensus proximum locum obtinens. — § 8. Si quis proximior<sup>9</sup> cognatus nasci speretur, in ea conditione est, ut dici debeat, ob stare eum sequentibus<sup>10</sup>; sed ubi natus non est, admittimus eum, qui post ventrem proximus videbatur. Sed hoc ita demum erit accipiendum, si hic, qui in utero esse dicitur, vivo eo, de cuius bonorum possessione agitur, fuit conceptus; nam si<sup>11</sup> post mortem, neque obstabit alii, neque ipse admittetur: quia non fuit proximus cognatus ei, quo vivo nondum animam fuerit. — § 9. Si qua prægnans decesserit et utero exsecto<sup>12</sup> partus sit editus: in ea conditione est partus iste, ut matris suæ accipere bonorum possessionem possit unde proximi cognati. Sed post senatusconsultum Orphitianum, et unde legitimi petere poterit: quia mortis tempore in utero fuit. — § 10. Gradatim autem admittuntur cognati ad bonorum possessionem, ut qui sunt primo gradu, omnes<sup>13</sup> simul admittuntur. — § 11. Si quis apud hostes fuerit mortis tempore ejus, de cuius bonorum possessione quaeritur, dicendum est bonorum possessionem peti ab eo posse.

2. GAIVS, lib. 16, ad Edictum provinciale.

Hac parte proconsul naturali æquitate motus omnibus cognatis promittit bonorum possessionem, quos sanguinis ratio vocat ad hereditatem, licet jure civili deficiant. Itaque etiam vulgo<sup>14</sup> quaesiti liberi matris, et mater talium liberorum, item ipsi fratres inter se, ex hac parte bonorum possessionem petere possunt: quia sunt invicem sibi cognati. Usque adeo ut prægnans<sup>15</sup> quoque manumissa si pepererit, et is qui natus est matri, et mater ipsi, et inter se quoque et qui nascuntur, cognati sint.

3. JULIANVS, lib. 27 Digestorum.

Capitis deminutione perimuntur cognationes, quæ ei per adoptionem adquisitæ sunt; igitur si post<sup>16</sup> mortem (verbi gratia) fratris adoptivi intra centesimum<sup>17</sup> diem adoptivus frater capite deminutus fuerit: bonorum possessionem accipere non poterit, quæ proximitatis nomine fratris defertur<sup>18</sup>. Pretorem enim non solum mortis tempus, sed etiam id, quo bonorum possessio petitur, intueri palam est.

4. ULPIANVS, lib. 6 Regularum.

Si spurius<sup>19</sup> intestato decesserit, jure consanguinitatis aut adgnationis hereditas ejus ad nullum pertinet: quia consanguinitatis itemque adgnationis jura a patre oriuntur; proximitatis autem nomine, mater ejus, aut frater eadem matre natus, bonorum possessionem ejus ex edicto petere potest.

5. POMPONIVS, lib. 4, ad Sabinum.

Legitimis capite deminutis<sup>20</sup> non datur bonorum possessio, jure heredis legitimi: quia non eadem causa eorum est, quæ liberorum; sed gradu cognatorum rursus vocantur.

6. ULPIANVS, lib. 48, ad Edictum.

Cognatis accusatio nihil<sup>21</sup> obest ad successionem, si accusaverint cognatos suos.

7. MODESTINVS, lib. 6 Regularum.

Is, qui aliqua ratione servus factus est, manumissione<sup>22</sup> nulla<sup>23</sup> ratione recipit cognationem.

4. L. 9, in pr. infr. h. t. — 5. 2 ult. Inst. de success. cognat. — 6. L. 23, supr. de adopt. — 7. L. 9, in pr. supr. de reb. dub. — 8. L. 2, § 6, infr. de suis. — 9. d. L. 2, in pr. — 10. L. 3, supr. si pars hered. — 11. L. 6, infr. de suis. — 12. L. 17, § 5, infr. ad SC. Tertull. — 13. L. 2, § 2, § 4, infr. de suis: § 5, Inst. de legit. agnat. success. — 14. L. 4, L. 8, infr. h. t.; L. 2, § 2, infr. ad SC. Tertull. — 15. L. 2, § 3, infr. d. t. ad SC. Tertull. — 16. L. 11, infr. de suis. — 17. L. 1, § 6, infr. ibi prox. — 18. § 8, Inst. de legit. agnat. success. — 19. L. 2, supr. h. t.; § 4, Inst. de success. cognat. — 20. § 1, Inst. d. t. — 21. Inimicis N. 22, c. 47: L. 14, in pr. supr. de bon. libert. — 22. L. 1, § 4; L. 2, § 2, infr. ad SC. Tertull.; L. 6, C. de suis: § 6, Inst. de capit. deminut. — 23. Inno. de Inst. de servil. cogn. in pr. — 24. L. 2, vers. itaque etiam, supr. h. t.; L. 1, § 2, infr. ad SC. Tertull. — 25. L. 1, § 3, supr. h. t.; § ult. Inst. de success. cogn. — 26. Adde L. 7, C. de integr. restit. — 27. L. ult. supr. de ventre in poss. mitt.

8. Idem, lib. 14 Responsorum.

Modestinus respondit, non ideo minus ad aviam maternam bona ab intestato nepotes admitti, quod vulgo<sup>24</sup> quaesiti proponuntur.

9. PAPIANVS, lib. 6 Responsorum.

Octavi<sup>25</sup> gradus adgnato jure legitimi heredis, etsi non extiterit heres, possessio defertur: ut proximo autem cognato, quamvis extiterit heres, non defertur. — § 1. Fratris filius pro parte heres institutus, cum patrum surdum esse contenderet, atque ideo testamentum facere non potuisset, possessionem, ut proximus cognatus accepit: ex die mortis temporis haberi rationem placuit: quia verisimile<sup>26</sup> non videbatur, tam conjunctum sanguini defuncti valetudinem ignorasse.

10. SCEVOLA, lib. 2 Responsorum.

Intestata reliquit sororem Septiciam diverso patre natam, et prægnantem matrem ex alio marito. Quaro, si mater hereditatem repudiaverit, dum adhuc prægnans est, posteaque enixa fuerit Semproniam: an etiam Semproniam bonorum Titiae possessionem accipere possit? Respondit, si mater hereditate exclusa est, eam quæ (ut proponeretur) postea nata est, accipere posse<sup>27</sup>.

TIT. IX.

DE SUCCESSORIO<sup>1</sup> EDICTO.

1. ULPIANVS, lib. 49, ad Edictum.

Successorium edictum idcirco propositum est, ne<sup>2</sup> bona hereditaria vacua sine domino diutius jacerent, et creditoribus longior mora fieret. E re igitur [prætor] putavit, præstituræ<sup>3</sup> tempus his, quibus bonorum possessionem detulit, et dare inter eos successionem, ut maturius possint creditores scire, utrum habeant cum quo congregiantur, an vero bona vacantia<sup>4</sup> fisco sint delata, an potius ad possessionem bonorum procedere debeant, quasi sine successore defuncto. — § 1. Unus enim quisque suam bonorum possessionem repudiare potest, alienam<sup>5</sup> non potest. — § 2. Proinde procurator meus sine mea voluntate meam bonorum possessionem repudiare non potest. — § 3. Per servum delatam bonorum possessionem dominus repudiare potest. — § 4. Tutor<sup>6</sup> impuberis an repudiare possit bonorum possessionem, videamus? Et magis est, ne possit: sed ille<sup>7</sup> ex auctoritate tutoris repudiare potest. — § 5. Furiosi curator nequaquam poterit repudiare: quia necdum delata est. — § 6. Qui semel<sup>8</sup> noluit bonorum possessionem petere, perdidit jus ejus, etsi tempora largiantur: ubi enim noluit, jam cepit ad alios pertinere bonorum possessio, aut fiscum invitare. — § 7. Decretalis bonorum possessio an repudiari possit, videamus? et quidem diebus finiri potest: sed repudiari eam non posse, verius est; quia nondum delata est, nisi cum fuerit decreta; rursum, posteaquam decreta est, sera repudiatio est; quia quod adquisitum est, repudiari non potest. — § 8. Si intra centesimum<sup>9</sup> diem mortuus sit prior, statim sequens admitti potest. — § 9. Quod dicimus, intra dies centum bonorum possessionem peti posse, ita intelligendum est, ut et ipso<sup>10</sup> die centesimo bonorum possessio peti possit: quemadmodum intra kalendas etiam ipsæ kalendæ sint. Idem est, et si in diebus centum dicatur. — § 10. Quibus ex edicto bonorum possessio dari potest, si quis eorum aut dari sibi noluerit<sup>11</sup>, aut in diebus statutis<sup>12</sup> non admiserit: tunc cæteris bonorum possessio perinde competit, ac si prior ex eo numero non fuerit. — § 11. Sed videndum est, an inter cæteros ipse quoque qui exclusus est, admittatur; utpote filius est in potestate delata est ei bonorum possessio ex prima parte, unde liberis defertur; exclusus est tempore, aut repudiatione; cæteris defertur: sed ipse sibi succedat ex hac successoria parte? Et magis est<sup>13</sup>, ut succedat: ut unde legitimi possit petere, et post hos suo ordine ex illa parte, unde proximi cognati vocantur: et hoc jure utimur, ut admittatur; poterit igitur ex sequenti parte succedere ipse sibi. Item hoc dici poterit et in secundum tabulas possessionem: ut si secundum tabulas non petierit bonorum possessionem is, qui potuit et ab intestato succedere, ipse<sup>14</sup> sibi succedat. — § 12. Largius tempus parentibus liberisque petendæ bono-

TIT. IX. — 1. Lib. 6, C. 16, — 2. § 2, vers. ad hæc autem; § 4, vers. cum igitur; plures Inst. de bon. posses.; L. 6, in pr. supr. de interrog. in jure. — 3. L. 69, in fin. supr. de acquir. vel omit. hered. — 4. L. ult. in fin. infr. h. t. — 5. § 4, § 5, infr. h. t.; L. 15, in fin. L. 14, supr. de acquir. vel omit. hered.; L. 8, supr. de bon. posses.; L. ult. in pr. C. de bon. que liber.; L. 16, in fin. supr. de reb. cred. — 6. L. 8, supr. de bon. posses. — 7. L. 8, C. de repud. vel abstin. hered. — 8. L. 13, in pr. supr. de acquir. vel omit. hered.; L. 1, § 5, supr. unde liberis; § 8, vers. si quis itaque; Inst. de bon. posses. — 9. L. ult. C. h. t. h. t.; in pr. supr. de bon. posses. secund. tab. — 10. L. 135, infr. de verb. sign. — 11. L. 2, § 2, infr. ad SC. Tertull. — 12. L. 69, supr. de acquir. vel omit. hered. — 13. L. 91, infr. de reg. jur. — 14. L. 17, § 1, supr. de acquir. vel omit. hered.

rum possessionis tribuitur, in honorem sanguinis videlicet: quia artandi non erant, qui pene ad propria<sup>15</sup> bona veniunt; ideoque placuit, eis præstiti annum<sup>16</sup>, scilicet ita moderate, ut neque ipsi urgerentur ad bonorum possessionis petitionem, neque bona diu jacerent. Sane nonnunquam urgentibus creditoribus interrogandi<sup>17</sup> sunt in jure, an sibi bonorum possessionem admittant: ut si repudiare se dicant, sciant creditores, quid sibi agendum esset: si deliberare se adhuc dicant, præcipiendi non sunt. — § 13. Si quis autem a patre suo impuberi filio sit substitutus: non intra annum, sed intra diem centesimum bonorum possessionem petere poterit. — § 14. Non solum autem, cum suo<sup>18</sup> nomine veniunt liberi parentisque, hoc eis tribuitur: verumetiam si servus ejus, qui ex liberis parentibusque est, heres institutus est, intra annum competit bonorum possessio; persona enim ea est, quæ meruit hoc beneficium, quæ petat. — § 15. Sed et si pater emancipati filii bonorum possessionem contra tabulas accipere velit, anni tempus ei competere constat. — § 16. Et generaliter ait Julianus ex omnibus causis liberis parentibusque<sup>19</sup> intra annum bonorum possessionem competere.

2. PAPIANVS, lib. 6 Responsorum.

Inferioris gradus cognatus beneficium edicti successorii non habuit, cum prior ex propria parte possessionem accepisset. Nec ad rem perlinuit, quod abstinendi facultatem ob auxilium ætatis prior cognatus acceperat. Igitur fisco vacantia<sup>20</sup> bona recte deferri placuit.

TIT. X.

DE GRADIBUS<sup>1</sup> ET AFFINIBUS, ET NOMINIBUS EORUM.

1. GAIVS, lib. 8, ad Edictum provinciale.

Gradus cognationis alii superioris<sup>2</sup> ordinis sunt, alii inferioris, alii ex transverso, sive a latere. Superioris ordinis sunt parentes: inferioris, liberi; ex transverso, sive a latere, fratres et sorores, liberique eorum. — § 1. Sed superior quidem et inferior cognatio a primo gradu incipit: ex transverso sive a latere nullus est primus gradus, et ideo incipit a secundo. Itaque in primo<sup>3</sup> gradu cognationis superioris quidem et inferioris ordinis cognati possunt concurrere: ex transverso vero nunquam eo gradu quisquam concurrere potest; at in secundo et tertio, et deinceps in cæteris possunt etiam ex transverso quidam concurrere, et cum superioris ordinis cognatis. — § 2. Sed admonendi sumus, si quando de hereditate vel bonorum possessione queramus, non semper eos, qui ejusdem gradus sint, concurrere. — § 3. Primo<sup>4</sup> gradu sunt supra, pater, mater: infra filius, filia. — § 4. Secundo<sup>5</sup> gradu sunt supra, avia, avia: infra, nepos, neptis: ex transverso, frater, soror. — § 5. Tertio<sup>6</sup> gradu sunt supra, proavus, proavia: infra, pronepos, proneptis: ex transverso, fratris sororisque filius, filia; et convenienter patruus, amita, avunculus, matertera. — § 6. Quarto<sup>7</sup> gradu sunt supra, abavus, abavia; infra, abnepos, abneptis: ex transverso, fratris sororisque nepos, neptis: et convenienter patruus<sup>8</sup> magnus, amita magna, id est, avi frater et soror: avunculus magnus, matertera magna, id est, avie frater et soror: item fratres patruales, sorores patruales, id est, qui, quæve ex duobus fratribus progenerantur; item consobrini, consobrinque, id est, qui quæve ex duobus sororibus nascuntur, quasi consororini; item amitini, amitina, id est, qui quæve ex fratre et sorore propagantur: sed fere vulgus istos omnes communi appellatione consobrinos vocat. — § 7. Quinto<sup>9</sup> gradu sunt supra, atavus, atavia; infra, adnepos adneptis; ex transverso, fratris et sororis pronepos, et proneptis: et convenienter propatruus, et proamita, id est, proavi frater, et soror: proavunculus, et promatertera, id est, proavia frater, et soror: item fratris patruelis, sororis patruelis filius, filia: et similiter consobrini, consobrinque, item amitini, amitinae filius filia: propior sobrinus, propior sobrina; isti sunt patru<sup>10</sup> magni, amita magnæ, avunculi magni, materteræ magnæ filius, filia.

2. ULPIANVS, lib. 46, ad Edictum.

Hoc est patris ejus, de cuius cognatione quaeritur, consobrini consobrinque, sive frater patruelis.

3. GAIVS, lib. 8, ad Edictum provinciale.

Sexto<sup>11</sup> gradu sunt supra, triavus, triavia; infra, trinepos, trineptis; ex transverso fratris et sororis abnepos, abneptis, et convenienter abpatruus, abamita, id est, abavi frater et soror: abavunculus, abmatertera,

15. L. 11, supr. de liber. et posthum. — 16. § 15, § ult. infr. h. t.; L. 4, § 1, infr. quis ordo in posses.; L. 4, C. qui admitti ad her. poss.; § 4, in fin. Inst. de bon. posses. — 17. L. 5, supr. de interrogat. — 18. L. 2, supr. de hered. petit. — 19. § 12, supr. h. t. — 20. L. 1, in pr. supr. h. t.

TIT. X. — 1. Lib. 8, Inst. 6. — 2. Inst. de grad. cogn. in pr.; N. 118, in fin. pr. — 3. L. 10, § 12, infr. h. t. — 4. d. L. 10, § 12. — 5. d. L. 10, § 13. — 6. d. L. 10, § 14. — 7. d. L. 10,

id est, abavia frater et soror: [item patru magni, amita magna, avunculi magni, materteræ magnæ nepos, neptis:] item fratris patruelis, sororis patruelis, consobrini, consobrinque, amitini, amitinae nepos, neptis: propatruus, proamita, proavunculus, promaterteræ filius filia: item qui ex fratribus patruelibus, aut consobrini, aut amitini undique propagantur, qui proprie sobrinus vocantur. — § 1. In septimo<sup>12</sup> gradu quam multæ esse possint personæ, ex his, quæ diximus satis apparet. — § 2. Admonendi tamen sumus, parentium liberorumque personas semper duplicari: avum enim et aviam, tam maternos quam paternos intelligemus; item nepotes, neptesque, tam ex filio quam ex filia; quam rationem scilicet in omnibus deinceps gradibus supra infraque sequemur.

4. MODESTINVS, lib. 12 Pandectarum.

Non facile autem, quod ad nostrum jus attinet, cum de naturali cognatione quaeritur, septimum gradum quis excedit, quatenus ultra eum fere gradum rerum natura cognatorum vitam consistere non patitur. — § 1. Cognati ab eo dici putantur, quod<sup>13</sup> quasi una communitate nati, vel ab eodem orti progenierit sint. — § 2. Cognationis substantia bifariam apud Romanos intelligitur. Nam quædam cognationes jure civili, quædam naturali connectentur: nonnunquam utroque jure concurrente, et naturali et civili copulatur cognatio. Et quidem naturalis cognatio per se sine civili cognatione intelligitur, quæ per feminam descendit, quæ vulgo liberos peperit. Civilis autem per se, quæ etiam legitima dicitur, sine [jure] naturali cognatio constitit per adoptionem. Utrouque jure consistit cognatio, cum justis nuptiis contractis copulatur. Sed naturalis quidem cognatio hoc ipso nomine appellatur: civilis autem [cognatio] licet ipsa quoque per se plenissime hoc nomine vocetur, proprie tamen adgnatio vocatur; videlicet quæ per mares contingit. — § 3. Sed quoniam quædam<sup>14</sup> jura inter adfines quoque versantur, num alienum est hoc loco de adfinibus quoque breviter disserere? Adfines sunt viri et uxoris cognati: dicti ab eo, quod duæ cognationes, quæ diversæ inter se sunt, per nuptias copulantur, et altera ad alterius cognationis finem accedit: namque conjungendæ adfinitatis causa fit ex nuptiis<sup>15</sup>. — § 4. Nomina vero eorum hæc sunt, socer, socrus, gener, nurus, noverca, vitricus, privignus, privigna<sup>16</sup>. — § 5. Gradus autem adfinitati nulli<sup>17</sup> sunt. — § 6. Et quidem viri pater uxorisque, socer; mater autem eorum socrus appellatur: cum apud Græcos proprie viri pater πατήρ, mater vero μήτηρ [vociantur], uxoris autem pater πατερός et mater μητέρας vocatur. Filii autem uxoris, nurus: filie vero viri gener appellatur. Uxor liberis ex alia uxore natis noverca dicitur, matris vir ex alio viro natis vitricus appellatur: eorum uterque natus, aliunde privignus privignasque vocant. Potest etiam sic definiti socer, uxoris meæ pater, ego illius sum gener. Socer magnus dicitur uxoris meæ avus, ego illius sum progener. Et retro pater meus uxoris meæ socer est, hæc illi nurus: et avus meus, socer magnus est, illa illi pronurus. Item prosocrus mihi uxoris meæ avia est, ego illius sum progener. Et retro mater mea uxoris meæ socrus est, illa huic nurus: et avia mea socrus magna est, et uxor mea illi pronurus est. Privignus est uxoris meæ filius ex alio viro natus, ego [illorum] vitricus: et in contrarium uxor mea liberis, quos ex alia uxore habeo, noverca dicitur, liberi mei illi privigni. Viri frater, levir: is apud Græcos δάδω appellatur, ut est apud Homerum relatam; sic enim Helena ad Hectorem dicit:

Δαδὼ ἐμῆο κυνὸς κακῆς κηρύχου ἑκρυέσσης. Id est, Levir mei canis omnis mali causatrix horridæ.

Viri soror glos dicitur; apud Græcos, galos. Duorum fratrum uxores [janitricæ] dicuntur, apud Græcos ἐναγέρις; quod uno versu idem Homerus significat:

Ἦε πῆ ἐς γάλοων ἢ ἐναγέρων εὐπέπων. Id est, Sive alicubi inglorium aut inaterum speciosis pepit.

§ 7. Hos itaque inter se, quod affinitatis causa parentium liberorumque loco habentur, matrimonio copulari nefas<sup>18</sup> est. — § 8. Sciendum est, neque cognationem, neque adfinitatem esse posse, nisi nuptiæ<sup>19</sup> non interdictæ sint, ex quibus adfinitas conjungitur. — § 9. Libertini libertinæque inter se adfines esse possunt. — § 10. In adoptionem datus, nemo est illi cognatus præter patrem, eosque, quibus adgnascitur: adfines

12. § 15. — 8. d. L. 10, § 15. — 9. d. L. 10, § 16. — 10. d. L. 10, § 16, circa med. — 11. d. L. 10, § 17. — 12. d. L. 10, § 18. — 13. L. 1, § 1, supr. unde cognati. — 14. L. 10, in pr. infr. h. t. — 15. Vide tamen L. 5, supr. de conduct. caus. dat. — 16. L. 17, in fin. C. de nupt. — 17. Inno. vide L. 10, in pr. infr. h. t. — 18. d. L. 17. — 19. § 2, supr. h. t.; L. 4, supr. unde cognati.